

BARTHOLOMAEVS ZAMBERTVS VENETVS
 Ioanni Zamberto Veneto fratri humanissi-
 mo salutem perpetuam.



VVM me iam pluribus annis hisce mathematicis disciplinis mirum in modum delectari tibi exploratissimum esset Ioannes frater charissime, cumq; saepius, me quasi ad pugnam pro uocans aliqua abs te mechanico artificio structa ostenderes, quæ optices hoc est perspectiuæ speculationibus compacta pluribus lineis sese inuicem dispecētibus, multiplicibusq; angulis, mirandam ingenij tui solertiā altamq; indaginem preferrent, efficere non poteram quin eam theoremata maxime non comprobarem, quando quidem niteris lineis & angulis efficere ut ea quæ plana sunt quandoque conuexa, at quandoque sese in intima penetralia extendere, aliquando uero solida & tribus dimensionibus constare uideātur. Cuius quidem disciplinæ rationem quādoq; cum apud Socraticum Euclidem in uetustissimis & tineis ac carie contritis græcis codicibus legerem, quodam stupore perfusus, hominis ingenium arduum & sublime inde dijudicans, opus illud mira solertiā sed maximo studio non legi sed relegi transcripsitq; pariter, ut tanta doctrina quoque inter nostros codices summa ueneratione seruata reperiri posset. Quod quidem opusculum cum quandoque tibi demonstrassem, auidissime, ut qui hiantibus faucibus sitibundi fontis frigidam aquam æstiuis ardoribus ingurgitāt, petisti, ut illud tibi latinū efficerem, existimans esse aliquid cæteros homines quos diuersa inutilia oblectamenta iuuant disciplinis excellere. Quod sane ut tuis uotis frater charissime satisfactum esset: quasi ocio deditus ex Euclideâ interpretatione illa laboris plena, sedulo curauimus opusq; ipsum sublimi, & mirando iudicio ab Euclide ipso exquisitum latinum feci, ut tibi satisfaciendo, communi quoque studentium utilitati consulerem. Quod sane opusculum tibi id propterea destino, ut tibi necessitudinis nostræ amorisq; & beneuolentiæ sit exploratissimum pignus, tum quia hisce studijs & speculationibus delectaris, idque propterea iure quodam tibi id opus destinari debet, quando quidem ea illis sunt denda, qui eorū peritiam tenēt. Sub tuo igitur nomine perspectiua Euclidis in lucē ueniet, ex grecorum illis disciplinarum ingeniorum & doctrinæ mundæ & castigatæ plenius scrinijs eruta. Cæterum tu frater charissime hæc leges, uidebisq; quantum fuerit Euclidis iudicium, quantum ingenium, quanta doctrina, ut hæc optica theoremata eo examine struxerit, ut eorū nullū recte sentientes negare possimus, in quibus si quid fortasse cōperies minus obuium & tibi notum, testatim ad elementorum specularia & apparentium Euclidis doctrinam conferes, inde nāq; omnia tibi plana fient, & luce meridiana clariora, uerū ne me crispini scrinia lippi compillasse putes, uerbum nō amplius addam. Vale. XI. V. XI. X. elemento conciliatæ diuinitatis. Vene. VI. Kalen. octobris.

EVCLIDIS MEGARENSIS CLARIS-
 SIMI PHILOSOPHI PLATONICI INSIGNISQVE
 mathematici incipiunt optica ex traditione Theonis
 Bartholomæo Zamberto Veneto interprete.



STENDENS ea quæ per uisum consolationis gratia non nullos induxerunt, ratiocinatus est, quod omne lumen in rectas lineas protenditur, rei que huiusmodi argumentum uel maximum esse ex corporibus umbras educas, deque foraminibus & aspectibus lucem delatam. Horum & enim unumquodq; neutiquam fieret sicut & nunc factū spectatur, nisi à sole delati radij in rectas lineas extenderentur. Itidem quoque ex ignibus nostris emissam inquit lucem causam esse, qua corporum adiacentium aliqua illustrantur, indeq; umbræ educuntur, aliqua quidem subiectis æquales corporibus. Aliæ uero maiores. Aliæ porro suppo-